

§. 22. Quæ Explicatio Homiletis & Concionatoribus tanto gratior erit, quanto copiosiorem ipsis præbet materiam in Concionibus Paschalibus : & sane nobis quoque tanto suavior & concinnior videretur reliquis præcedentibus omnibus : quanto copiosius efficacissimas præbet & meriti Christi universalis , in quo una nostra Spes reposita est, etiam ratione Articuli de Sepultura Christi, consolationes, nisi plurima essent, quæ in hac explicacione jure desideraremus. Etenim (1) Certum est Prophetam in totò hoc Capite LIII. usque ad vers. 11. Historicum quasi & Evangelistam potius, quam Homiletam agere voluisse: id quod manifestum erit Textum nostrum cum Antecedentibus & Conseqq. accurate conferenti , quod & nonnulli ex antiquis Patribus ut Hieronymus & Augustinus nobiscum agnoverunt , quando Jesaiam *Evangelistam* V. T. appellaverunt , ceu *disp. nostræ de Messia unico scopo Capitis LIII. Jes.* §. 1. eorum loca produximus. (2) Quidam horum Interpretum Concreta רשיים & עשרים Impii & dives hic absque ulla necessitate in Abstracta *Impietates* & *divitias* commutarunt , nihil juvantibus Exemplis à B. Glassio Phil. S. lib. 3. tr. 1. c. 2. p. 379. adductis , quæ præter unum forte vix huc accommodari possunt: alii verò vocem רשיים ex עשרים *impietas* deducunt, cum tamen hoc sit singularis numeri tantum, nec unquam Pluralem ex se formet , ne diversa significata diversarum vocum inter se confundantur: illud verò 133. vicibus in Script. occur-